

XVI.

45. D. Apostolus divitibus huius seculi non desertionem facultatum precipit, sed beneficentiam ac liberalitatem commendat, & ne spem in incertis ponant divitijs, denunciatur. 1. Tim. 6, 17.

46. Neque Apostolorum obstat exemplum, quos suas in commune opes contulisse, sacra testatur historia. Act. 4, 34.

47. Temporum enim injuria & difficultati, quantum obtinebat hoc est tribuendum: & Apostoli ipsi cuilibet liberam bonorum possessionem relinquiebant, id quod ex historia Ananiae est manifestum. Acto. 5, 4. adeo ut communionem illam bonorum non absoluti juris, sed facti; non necessitatis, sed commoditatis pro temporum conditione liberrimae esse, ostenderent.

48. Et quid sibi vult aliud septimum Decalogi praeceptum, quam ut cuilibet tutam bonorum suorum possessionem assignet: & quemque suarum facultatum Dominum constituat: Quemadmodum & Salomon idem inculcat, jubens ut divitum rivuli decriventur quidem foras: sed ut ipsi SOLI DOMINI permaneant, nec peregrinus cum eis. Prov. 5, 15.

49. VIII. De Iuramenti usu res itidem ex scripturis satis est plana & expedita: Iuravit DEVS ipse Gen. 22, 16. Iuravit Apostolus 2. Cor. 1, 23. mandat DEVS magistratui Israelitico, certo quodam casu iuramentum à subditis exigere & accipere. Exod. 22, 8. & 11. Iusiurandum
ad